


N. 10





6



6

DISSERTATIO. INAUGVRALIS.
QVA.
INITIA. RELIGIONIS. CHRI-
STIANAE. IN. SILESIA.
ANTE.
MICISLAI. PRIMI. TEMPORA.

AMPLISSIMAE. FACVLTATIS. PHILOSOPHICAE. INDVLTV.
PRAESIDE.

VIRO. EXCELLENTISSIMO. AMPLISSIMO.
DOCTISSIMO. QVE.

GEORG. FRIDERICO. MEIER.

PHILOSOPHIAE. PROFESS. ORDINAR. ET. ACADEMIAE.
SCIENTIARVM. BEROLINENSIS. SODALI.
ORDINIS PHILOS. H. T. DECANO. SPECTATISSIMO.

PRO. GRADV. MAGISTRI.

D. APRIL. CIDI CCCLVIII.

PVBlice. DEFENDET.

AVCTOR.

BENIAMIN. LEVPOLD.

HIRSCHBERGA-SILESIVS.

HALAE. MAGDEB. EX. OFFICINA. HENDELIANA.

DISSERTATIO IN ACADEMIA
 QUAE
 INITIA RELIGIONIS CHRISTI
 STAVANAE IN SILESIA
 ANTE
 MDCCLXXII. TEMPORA
 AMPLESSIMAE ACADEMIAE THEOLOGICAE
 THESSALICAE
 VIRO DOCTISSIMO ET
 DOCTISSIMO
 GEORG. FRIDERICO MEIER.
 THEOLOGICAE PROFESSOR ORDINARI ET ACADEMIAE
 SCIENTIARUM BEROLINENSIS SOCIUM
 ORDINARIUM ET DECANO SECTATISSIMO
 PRO GRADU MAGISTRI
 D. AETAT. CXXXCVIII.
 PAVLO DEYNDL.
 AUCTOR.
 BENJAMIN. LEVOLD.
 HISTORICUS-ARTIS.
 HALLAE MAGDAB. EX OFFICINA HERRMANNI.



VIRIS.
SVMME. AC. PLVRIMVM. REVERENDIS.

AMPLISSIMIS. DOCTISSIMIS.

M. FERDINANDO.
WEISSIGIO.

ECCLESIAE. HIRSCHBERGENSIS, PASTORI PRIMARIO.
ECCLESIARVM. SCHOLARVM. QVE. A. C. IN. CIRCVLO.
ET. HIRSCHBERGENSI. ET. LEOBERGENSI.
INSPECTORI. REGIO.

M. GOTTLOB. KAHL.

ECCLESIAE. APVD. HIRSCHBERGENSES.
QVAE. COLLIGITVR. ARCHIDIACONO. ATQVE. INSPE-
CTORI. REGIO. ADIVNCTO.

M. GOTTLOB. BENIAMIN.
WEINMANNO.

ET.

PAVLO. HENRICO.
BURCHARDI.

DIACONIS. OPTIME. FIDELITER. QVE. DE. ECCLESIA.
HISCHBERGENSIUM. PROMERENTIBVS.

FAVORIBVS. SVIS. ET. PATRONIS.

SINGVLARI. QVADAM. ANIMI. OBSERVANTIA.
COLENDIS.

HAEC. PIA. TENTAMINA. SANCTA.
ESSE. CVPIT.

OBSERVANTISSIMVS. CVLTOR.
AVCTOR.
BENIAMIN. LEVPOLD.



§. II.



Maiores Silesiorum Lygii & Quadi quod magis naturalismo quam idololatriae quo ad cultum diuinum, seculis ante seruatoris nostri natiuitatem, addicti fuerint; peculiari quadam disquisitione¹⁾, vt per virium mearum facultatem fieri potuit, affirmare atque rationibus stabilire nuper annifus sum. Cum vero tum simul promiserim, Dei auspicio aliquando periculum facere, quatenam fuerint salutaris Christianae religionis initia in Silesia ante MICISLAI primi tempora: iam istis promissis standum esse memini. Quamquam enim quidam Silesiographi eandem mecum fouisse atque statuisse videntur sententiam, vt LVCAE in *Schlesiens Denkwürdigkeiten P. II. c. 1. p. 216.* HANCKIUS *de rebus Silesiorum c. VI.* & alii plures: eam tamen, vel vt plane praesumptam opinionem, vel vt meram probabilitatem reiecerunt, quae nullis praeterea satis idoneis argumentis muniti amplius & confirmari possit. Quae tamen, mihi certe, res maioris momenti esse videtur, quam quae ab patriarum amatore rerum quasi leui pede transiri queat.

A 3

§. II.

¹⁾ De Lygiis & Quadis ethnicismi falso suspectis.

§. II.

Seruatoris nostri summae diligentiae & indefessi studii exemplum in prouehenda Dei salutari cognitione, nunc iam minime appello: vt eo certius constet, Apostolos alios que, quibus deinde fors obringebar ea fauissima, illius adesse scholis, eius que ex ore edoceri, mandatum ab illo acceptum Προσεύειν εις τον Κόσμον πάντα, & μαθητεύειν πάντα τὰ ἔθνη & βαπτίζειν αὐτοὺς 2), diligentissime, & quo ad vsque locorum potuerint, exsecutos fuisse; eundem certe in finem ad ethnicos abiisse 3), atque de eorum salute pari cura sollicitos fuisse, dubitare nemo potest. Huic igitur consilio, quod πάντος τῆ κόσμος institutionem complexum fuit, magis consentaneum esse videtur, si eodem praedicationis beneficio etiam Germaniae gentes, & populos plures, quam primum fieri potuit, gauisos fuisse, doctrinamque de Christo ad illos initio statim pertransiisse, statuamus.

§. III.

Atque, si rem consideremus ipsam, rumor multus ac fama de Christo, qui dei colendi rationem singularem & fere inusitatam praeceperat, de que eius, per discipulos collecta, huc illuc que dispersa ecclesia non existere non potuit. Lygios autem & Quados, gentes numero & terris insignes, quibus nouarum rerum diligens cura deesse non potuit, si vel maxime cultam atque emendatam denegare iis velis rationem, de his tantis rebus nihil omnino inaudiuisset aliquis putet, quibus orbis fere vniuersus sensim implebatur? Plures sane obuiaë sunt causae, tale quid neganti aduersae. Parum certe mea refert, si maxime asserere non liceat, quod ethnicorum Apostolus PAVLVS, qui magnam

non

2) Conf. Matth. 28, 19. coll. Marc. 16, 15.

3) Act. 13, 46.

non Asiae & Graeciae solum partem sed Illyricum 4) etiam doctrina sua de Christo illustravit, vel alius quis Apostolorum, vel alius ex viris apostolicis 5) in Silesiam ipsam pervenerit, ibi que Evangelium praedicauerit; de hoc non pertinaciter contendo. Illud autem tenco atque amplector, his me eius causae momentis praecipue adiuvari, quae sub initia plantandae Christi ecclesiae occurrunt. Nempe a) Christi Apostolorum que quo ad numerum & modum plane inaudita atque inusitata miracula. Scimus enim quam attentis fuerint, vel per superstitionem commoti terrae populi, ad novorum numinum apparitiones, opera inter homines administrata, debitum que iis cultum. b) Integritas vitae morum que disciplina primorum ad Christum converforum, qua partim praestabant ceteris vel moderatis sapientiae cultoribus; vt & c) perseuerantia, qua sibimetipsis primi constabant Christiani, quando Christum sub gravissimis suppliciis atque persecutionibus, quibus singulae Romanorum saepiuscule affligebantur prouinciae, nihilominus *χρηστές* & publice profitebantur. Haec suadent, adeo non abhorrere a veritate, vt Silesii quoque hoc vel illud de rot & tantis rebus per famam acceperint, hoc si quis piam cetera statuere veller.

§. III.

Vt iam modum aliquem probabilem prodam in eae sententiae, potueram pronocare ad illud propagatae nostrae religionis argumentum, quod plerumque a Iudaeis com-

4) Rom. 15. 8. 19. 29.

5) Conf. LVCAE l. c. P. II. c. 1. p. 216. vbi plures recensentur viri apostolici qui doctrina sua Germaniam hic & illic illustrasse censentur; qua de opinione ex plurium patrum scriptis constat.

merciorum causa apud Silesios commoratis 6) peti solet; quod profecto magnam prae se fert probabilitatis speciem, atque haud paulo maiorem, quam quae oriatur ex ista opinione, veterem Germaniam, non, ut multi perperam tradiderunt 7) ex Suecia primos accepisse colonos, septentrionis adeo indigenas: sed ex Asia primos venisse vetustioris Germaniae habitatores. Licebat enim etiam ex ista opinione hac coniectura uti, primos hos Germaniae colonos, dogmatibus Iudaeorum quoque imbutos, doctrinae de Deo, futuroque Messia non plane ignaros posteros & coetaneos reliquisse. Itaque nostros quoque maiores, ad exemplum aliorum, eiusdem traditionis haud immemores, quum Christus ille promissus Messias adveniret, aures erexisse & sibi metipsis varia eius rei cura prospexisse, veri simillimum est. Quod si debita factum est attentione, nonne & hos de Christo eiusque doctrina tam late diffusa, pluribus & clarius inaudivisse putemus, fructumque verbi diuini efficacis percipisse? Nonne & ex istis, quorum corda hac doctrina & cognitione Christi imbuti essent, aliqui certe ore quoque sancta haec dogmata professi fuerint?

§. V.

Lygii & Quadi quo ad situm finium suorum illis erant provinciae confines, in quibus sine omni dubio doctrina de Christo, iam seculo primo, disseminata atque promulgata fuit. Nec ulla indiget, ut puto, demonstratione, quod fere singulis in regionibus Romani imperii, (quod tam amplum divina quae insignis est providentia fieri & ad illum usque perue.

6) Conf. Allgemeine Weltgeschichte Th. XVI. B. III. S. 423. p. 553. Idem CYREI Chronicon rerum Silesiac. hic consulendum est P. I. p. 15. & 18. edit. 1607.

7) RYDBECK Atlant. P. I. adde Allgem. Weltgeschichte Th. XVII. Absch. 1. §. 1. p. 3. 4.

peruenire ideo voluerat apicem, vt tot tanti que populi, Romanos agnoscerent dominos,) magno numero Christianorum exstiterint congregationes. Romani vero imperante AVGVSTO felici ad DANVBIVM vsque 8) armis suis sibi proprias iam fecerant terras, imo suae ditioni adiunxerant regiones quasdam trans DANVBIVM cultas; Lygios autem & Quados 9), vna cum Marcomannis 10) ille tantum a Romanis disiungebat fluuius. Bella intestina seu ciuilia inter hos, quae saepius oriebantur, populos, perplures eorum ipsas in Romanorum abire regiones cogebant, ita, vt pace restituta plures eorum in patriam exinde reuerterent, cum alii vitam ibidem degentes suis cum cognatis arctiori quodam vinculo coniuncti persisterent. Nonne itaque, rebus sic habentibus hoc exinde conicere liceat, vt fama Christianorum eorum que disciplina Lygios & Quados ad noua illa dogmata, quae in Romanorum prouinciis florebant, attentiores reddiderit? quod vnicuique creditu facile esse, nisi illi, qui vim illuminandi ethnicos verbo diuino denegare haud erubescat, existimo.

§. VI.

Historiam si Lygiorum & Quadorum prosequimur ea nos saepe edocet, eos in partes Romanorum tractos

B

illis

8) SVETONIUS *in vita Augusti* p. m. 97. & 98. & *in vita Tiberii* p. m. 178. & 179.

9) TACITVS *de M. G. c. XXXII. p. m. 41.* Iuxta Hermunduros Narisci ac deinde Marcomanni & Quadi agunt. — Ea que Germaniae velut frons est, quatenus DANVBO porrigitur. *CLYVERI geograph. Lib. III. c. III. §. V. p. 186. 187.*

10) Siquidem constat MAROBODVVM Marcomannorum regem Lygios & Quados vicisse sibi que subditos fecisse. Conf. *Excell. PAVLI Einleitung in die Geschichte Schlesiens Abschn. I. §. III. p. 4.*

illis que auxilio fuisse in bellis gerendis 11). De SIDONE Lygiorum Quadorum que rege, qui vna cum VANGIONE in regno excipiebat VANNIVM 12), TACITVS tradit 13): *Trabuntur in partes (Vespasiani) Sido & Italicus reges Sueuorum.* Maiores nostri hoc duce Romanis auxilio, nominatim in fauorem Vespasiani, venisse, eorum que fortitudine ac virtute Vitellium in Pannonia superatum fuisse, satis perspicue perhibentur. Imo singulae saepius nationes vt milites sub aquila Romanorum commilitones, opportuniorem exinde nanciscebantur occasionem, inaudiendi de Christo, transeundi que vt in castra Romanorum, ita etiam in castra religionis melioris.

§. VII.

Pergo ad nouum argumentum. Plures vt testantur scriptores, Lygii & Quadi saepe contra Romanos ipsos bella gerebant; vt fuerunt fortunae vicissitudines, mox Roma-

11) Vnde & in Silesia multis in locis adhuc inueniuntur Romanorum numismata, E. C. LIGNITII, GLOGAVIAE, OLMVTII cet. de Romanis vero constat, eos ipsos nunquam eo vsque peruenisse, nec per negotia cum Romanis ob mercaturae eo tempore rationem, eo translata esse recte dixeris; Hinc eorum prae ceteris mihi perplacet sententia, qui statuunt, hos nummos tanquam signa honoris ac virtutis bellicae praemia a Silesiis seruatos fuisse. Conf. *THERESII Annales Lignicens. P. I. cap. I. p. 3. n. 8.* Cuius rei eam ob causam mentionem potissimum feci, vt efficiam quodammodo meae causae adiumentum. Scimus, Christianos inde a primis iam temporibus religioni sibi duxisse, stipendia inter profanos alios mereri. Itaque auxiliares harum gentium copiae ipsam nostrae religionis ingenium non addiscere non poterant.

12) De quo vide *Excell. PAULI loc. cit. §. III. p. 4.*

13) *Annal. Lib. XVIII. & Allgemeine Weltgesch. Th. XIII. p. 80.*

Romani inuadebant Quadorum terras, mox Lygii & Quadi Romanorum vexabant regiones; ita, ut Maiores nostri saepius adeo ad interiores Italiae provincias peruenerint 14). Opportunior hic sane nostris sese offerebat occasio, in armorum etiam strepitu, de eo, quod ipsi de rebus sacris statuebant, diligentius cogitandi & meliora per famam & colloquia discendi. Sed quid meo opus est ad huius rei probabilitatem efficiendam conamine, quum magni, *vñv év άγλοis* BAYMGARTEN, fautoris cum esset in viuis, & praeceptoris etiam post fata optimi, sententia, secundum me iam publice dicta videri possit 15): Bei den Streifereien der mitternächtigen Völker sind viele derselben in die Gefangenschaft weggeführt worden, die den ersten Grund zum Christenthum in denselben Gegenden gelegt haben. Et alibi 16): Unter den übrigen Völkern haben die Streifereien und Einfälle der Römischen Nachbarn durch Wegführung einer großen Menge von Christen, ingleichen die Römischen Verfolgungen durch häufiges Flüchtigen derselben, zu dieser Ausbreitung ihrer Lehre viel beigetragen. Ea quae de *Legione fulminatrice* relata legimus, nihil ad nos pertinere iam arbitramur; licet omnia quae de Legione hac miraculo Christianorum nobilitata a multis hodie que grauitur tenentur, in finibus *Quadorum* gesta esse dicantur; cum multi doctissimi viri hanc traditionem tanquam fabellam reiecerint 17).

§. VIII.

14) Conf. Celeberr. PAVLI *loc. cit.* §. VII. p. 8.

15) Auszug der Kirchengeschichte Th. II. §. 159. p. 635.

16) *loc. cit.* §. 169. p. 663. sq.

17) Qua de re consule quae tribus in diss. de *Legione fulminatrice contra Woolstonum* BAYMGARTEN ó *μαναγίτης* doctis.

§. VIII.

Religionis christianae fidem apud Lygios & Quados minoribus atque paucioribus fuisse obnoxiam difficultatibus, quam apud Romanos superstitionum variarum genere per pompam & luxum aeorum fere obrutos, mihi persuasissimum duco. Nostra etenim salutaris religio nihil unquam continet, nisi quod idem sana simul, si sciat, suadeat ratio, nec in illa aliquid dicit, quo vlllo modo rationi humanae contradicat. Lygii vero ac Quadi, nisi me patriae amor fallit, puriori sane, rationi que cultiori magis consentanea gaudebant de Deo eius que virtutibus cognitione, minus certe corruptionis & deprauationis domesticae apud istas gentes fuit 18), quam apud Romanos, Graecosque multos. Licet non ignorem non fuisse etiam apud singulos istos parem vim improbi stuporis & idololatriae aequale studium.

§. VIII.

Postquam per antecedentia eo inprimis allaboravi, vt apud Lygios & Quados cognitionem aliquam de Christo eius que doctrina iam fuisse, ante Slauorum, Sarmatarum que irruptiones, verosimile atque probabile efficerem; meum nunc esse existimo, testimoniis a vetustioribus fide dignis patribus petitis, hanc adiuuare adhuc sententiam, eorum in medium productis documentis. Ante omnia vero hac cautela & circumspectientia opus erit, quam nobis historia ciuilis, quae male plerumque ab historia ecclesiastica disiungi solet, suadet: quod videlicet Quadi, Marcomanni,

sine tradidit. Item EIVSD. *Auszug der Kirchengeschichte* Th. II. p. 518. sq. Conferri hic quoque merentur quae inter *Guil. MOYLIUM & Petr. KINGIVM de hac Legionē disceptata fuerunt*, apud *MOSHEMIVM in Syntagm. diss. theolog.* 18) *de Lygiis & Quadis* §. VI. VII. VIII-X.

manni, Vandali, Gothi, Sarmatae in expeditionibus suis adversus Romanos susceptis 19), vnum quasi constituerint populum, locis que, in patribus de vna harum gente agentibus obuiis, de vno quasi eodem que populo sermo fit.

§. X.

Omne licet non videatur tulisse punctum, indefesso studio in *Morauiam* vsus STREDOWSKY, qui LAURENTIVM apostoli Petri discipulum iam a. XXXXVII. missum ad Marcomannos fuisse statuit, quod munus igitur etiam ad Quados pertinuerit, vti monebamus, ob societatem mutuam; qui fundator seu constitutor ecclesiae Laureacensis fuerit, quae postea Episcopatus Passauiensis nomine aucta fuit 20); neque ea satis fide digna sint habenda, quae de Laurentio primo Passauiensium episcopo affirmare studet, ac si ille eodem tempore, apud Morauos *Zarussicense* templum struendum iam curauerit 21): Interim tamen aliquid veri inesse opinioni videri potest. Minime etiam omnino eius est spernenda de *Vangione* Marcomannorum, hinc & Quadorum 22) rege, teste TACITO 23), sententia, pacem publicam, quae inter Romanos & Marcomannos, viguisse dicitur, opportunam, Christum eius que doctrinam praedicandi

B 3

suppe-

20) Conf. STREDOWSKY *Moravia sacra Lib. I. c. VIII. p. 55. 56.* Adeam (urbem Laureacensem) cum vicinis prouinciis Christo lucrandam a S. S. Apostolis, circa annum XXXXVII. missus erat S. Petri discipulus D. LAURENTIVS *vir litteris & sanctorum monia clarus.* Cui adde VELSER. *rer. Boicar. Lib. III.* Item HVNNIVM *in catalog. Episcop. Laureacens.*

21) *loc. cit. p. 56.*

22) Praeceptoris ac fautoris optimi Excell. PAVLY *l. c. §. V. p. 6.* coll. TACITO *Annal. Lib. XII.*

23) *loc. cit.*

suppeditasse occasionem. Sint eius generis historiae non fatis munitae testium locupletum auctoritate; sint multa piis opinionibus magis, quam immotis tribuenda rerum monumentis: id tamen tenemus, rem ipsam sine his istis additamentis, quae historiae copiosae instar prae se ferunt, non solum fieri potuisse, sed etiam vix non fieri potuisse. Effecimus profecto, non defuisse occasionem opportunam, cognoscendae huius doctrinae; eam quae Dei consilio & praecepto praedicandam late fuisse; Dei autem virtutem in mentes hominum nunquam abfuisse: igitur conficimus & hoc, maiorum nostrorum certe quosdam fidem meliori religioni habuisse.

§. XI.

Proferam vero IRENAEI clarum de re ipsa testimonium, qui Lugdunensis ecclesiae ipse episcopus, rerum in Germania religionis causa euenientium, ignarus esse non potuit. En eius verba 24): *Nam etsi in modo loquelaë dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis vna & eadem est. Et neque hae, quae in Germania sunt fundatae ecclesiae, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hae, quae in Hiberis sunt, neque hae, quae in Celtis, neque hae, in Aegypto, neque hae, quae in Libya, neque hae, quae in medio mundi sunt constitutae.* Ita exstant in latina versione, quae antiqui auctoris est. Obseruo, IRENAEVM praecipue de consensu in praecipuis capitibus doctrinae agere, eum quae opponere haereticorum caillationibus. Itaque certus esse ipse debuit de ea re, nisi vanus & mendax auctor dici vellet. Nonne haec satis luculenter, si per *Celtas* etiam circa septentrionem habentes intelligere velimus populos, produunt, *Germaniam* quam *κατα γερων* scriptor hic nominat, Christia-

nos
24) *Lib. I. c. III. p. m. 15.* aduersus haereses.

nos eo tempore iam habuisse? Et si *Celticae* atque *Cimbri-
cae* regiones doctrinam de Christo vna cum Germania se-
cundum ipsius testimonium iam acceperunt: quomodo om-
nem doctrinae huius salutaris cognitionem Lygiis & Qua-
dis denegare quis possit, non video. Si ad septentrionem
Europae peruenit christiana doctrina: ex Italia profecto fa-
ciliior & propior via fuit in istas terras, quae *Marcomanno-
rum*, *Quadorum*, *Boiorum* que nominibus designabantur,
& per istos demum ad gentes in *Europa* alias euangelium
pertrinit.

§. XII.

Hoc testimonio IRENAEI addimus clarius aliud quod
reliquit TERTULLIANVS 25) *aduersus Iudaeos*, qui *Sarmatas*
expressis adducit verbis, quando inquit: *Hispaniarum om-
nes termini, & Galliarum diuersae nationes, & Britanno-
rum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; & Sarmata-
rum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum; —
in quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat.*
Et ibidem: *Christi autem regnum & nomen ubique porrigitur,
ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis
colitur* cet. Quis vero est qui non sciat, cum de *Sarmatis*,
Celtis, *Germanis* tanquam gentibus christianis loquitur, sub
vno horum *Germanorum*, aut *Sarmatarum* nomine omni
sine dubio comprehendi quoque Lygios & Quados.

§. XIII.

25) Edit. Venet. recens p. 189.

Not. ad §. XI. & XII. Haec prolata, ex patribus hisce modo duo-
bus, testimonia, meo praeclare inseruitura esse conamini, si
chronologiae ope de vita horum scriptorum ducimus calcu-
lum, existimo. Sponte etenim eo ipso nobis sese offerent ini-
tia religionis christianae ante Micislai I., nobis si simul in
memoriam simus reuocaturi IRENAEVM sec. II. floruisse, quum
TERTULLIANVS inter doctores sec. II. & III. referendus est.

§. XIII.

ATTILA flagellum Dei, quo nomine se ipse auxisse dicitur, hanc absque dubio prouinciam bello isto immani perivit, quod per maximam Europae melioris partem circumtulit 26). Quid? quod Quadi, secundum OLAMI apud BONFINIVM sententiam 27), iis annumerandi sunt, qui vltro eius agnouerunt imperium. Continua eius atque maxime celebrata bella, quibus per tot orbis regiones saeuiebat; noni barbari que aduenae, qui Atilam comitabantur & deinde in locis occupatis, sedes sibi figebant, partim vt prouincias modo sub iugum redactas retinerent, partim etiam vt populos subiectos suis in institutis, consiliis que Atilae propositis, erudirent: haud sane fausta rei christianae istis in locis succrescentis omina portendebant. Immisti vero etiam fuerunt ex barbaricis istis copiis non pauci nostris indigenis, siue casus eos, siue consilium eo adegisset, vt domicilia inter nostros ponerent. Vnde necessario falsa quoque horum aduenarum, quae fovebant de Deo eius que cultu dogmata, Silesios vna simul contaminasse, negandum non est.

26) De Atila & quo vsque armis suis peruenerit consule BONFINIVM in *rebus Hungaricis Dec. I. a Lib. III-VII*. Isto in corpore etiam NICOLAI OLAMI peculiaris de Atila scriptio inserta legitur. Silesiam quod sibi etiam subiecerit conf. EXCELL. PAULI, *loc. cit. §. XIII. p. 18. 19. n. b. & c.* BAUMGARTEN *§. μανόκος l. c. T. III. §. 273. p. 103. sq.*

27) *loc. cit. Dec. I. C. III. p. 110.* praeterea populi Marcomanni, Sueui, Quadi, Heruli, Turingi & Rugii, militari virtute omnes praeclari regis Athilae imperium atque societatem vltro subierunt.

28) BONFINIVS *l. c. Dec. I. Lib. III. p. 53.* adde *Allgemeine Welt-historie Th. XVII. B. III. Hauptst. XV. Absch. I. §. 112-127. p. 223-256.*

est. Quamquam nec illud asserere audeo, inter *Attilae* ingentes copias ex communi Europae fere pauore coeuntes, non fuisse quosdam aut christianos, aut christianarum rerum non plane infcios. Capiuorum certe magnus numerus non paucos continebat christianos, ex terris christianis inde ab vltimis Europae Orientalis partibus collectos.

§. XIII.

Morte tandem immanis tyranni interueniente 29); magnum eius regnum atque imperium in partes plures dirumpebatur. Seditioes atque dissensionis internae, quibus non solum ingens *Attilae* regnum scindebatur, sed etiam publica odia ex perpetuis aduersus omnem fere Europam, viuente adhuc *Attila* coorta bellis, efficiebant: vt cito dissiparetur iste terror & pauor qui adhuc populos oppresse-
rat. Interea vires earum regionum, quae sub *Attilae* huc vsque persteterant regimine, multum debilitatae fuerunt; cum plures ab Vnnorum regno ad alium dominum deficerent, alii se in libertatem pristinam vindicarent 30). Quorum ad exemplum *Quadi* etiam filiorum *Attilae* iugo iterum colla subdere recusabant, & se in libertatem adferere audebant. Verum nimis attritae fuerant vires sub *Attila*;
C
Maio-

29) De eius morte variae habentur opiniones, quando nonnulli ipsum aduersus Gallos interfectum sentiunt; alii autem aliam proferunt causam. Interim tamen ea apud BONFINIVM l. c. p. 132. & 133. relata mortis ratio vera esse videtur, qua nocte quum *Mycoltham*, (quae in der Allgemeinen Weltgeschichte Th. XVII. §. 127. p. 256. *Idico*, rectius dicitur) vxorem duceret, sanguine suffocatus dicitur. Interim pluribus vid. Allgemeine Weltgeschichte loc. cit.

30) BONFINIVS l. c. Dec. I. Lib. VI. p. 136. Id ipsum (scil. quod deficerent) *Marcomanni*, *Heruli*, *Turingi* & *Quadi* facitiant.

Maiores que nostri ira debilitati erant, vt se non pares viderent, qui Slauis, nationi cuidam Sarmaticae, fratribus Lecho Czecho que ducibus fortiter & feliciter resisterent; cum Morauis igitur simul ab illis in potestatem rediguntur 31).

§. XV.

Isti Slauici populi haud dubie detestabilem cultum, idololatricum, a quo Lygii & Quadi fere discesserant, adhuc tenebant; qua de profana impietate ineptiis que religiosis scriptorum multorum testimonio constat. Rudes omnino moribus & ethicae sanioris ignari erant noui viatores; nec tolerabilem aliquem bonarum actionum modum multo minus christianum, admodum amasse & amplectos esse, credibile est. Nihil facilius itaque euenire poterat, quam vt & Silesii moribus hisce deprauatis paulatim assuescerent; quod fere fieri solere ex historia rerum veterum scimus. Itaque haud dubie plerique castra relinquere christianorum gentilique impuritati dabant denuo nomina, vt isto fato res christiana in Silesia multum detrimenti caperet. Manserint tamen & in ista religionis clade, aliqui, & melioris sementis quasi semina certa continuauerint; quod profecto ex ipsa religionis diuina indole colligere licet.

Not. Hanc in periodum temporis Lygiorum & Quadorum non vero ante haec tempora, ponendum esse idololatriae feruens & publicum studium censeo. Omnium itaque scriptorum testimonia lugubria de nostris Silesiae maioribus, de hoc temporis tantum interuallo praecipue & omnino valere statuo.

§. XVI.

31) Conf. HANCKIUS in fine, de Silesiae Maioribus, & cap. 1. de rebus Silesiorum.

§. XVI.

Quo vero eo rectius statum ac indolem religionis christianae ante Micislai primi tempora in Silesia perspicere queamus, necesse erit, vt diuisionem in Silesiam superiorem & inferiorem in subsidium vocemus. Slauorum natio in varias pertingebat gentes, quae postmodum diuerfos a se inuicem constituebant status. Praecipuum fuit *regnum Morauicum* cuius magnitudo & praestantia exinde apparet, quod ARNVLVS Germanorum rex, illud subigere solus haud valuerit 32). Ad quod imperium Morauicum praeter magnam Ungariae partem, nisi omnis Silesia, certe potior pars certo pertinuit.

§. XVII.

Omne itaque quod de religione christiana in *Morauia* dici potest, idem quoque suo iure hac in periodo de Silesia praedicari atque affirmari potest; quia commune eo tempore fuit imperium. STREDOWSKY multa cum industria peculiarem ea de re scripsit librum, omniaque, quae partim certo quasi demonstrari, partim vero probabilitatis quadam specie dici possunt, collegit. Secundum eius sententiam 33) mortuo ATTILA statim sanctus SEVERINVS 34) Marcomannis, DANVBI accolis, euangelium de Christo praedicauit. Quales deinde progressus christiana religio sub Carolo M. cepit, qualesque doctores Morauia,

C 2

cetero

32) De ARNVLFO eiusque bello cum *Morauis*. Conf. *Annales Metens.* & Regino ad An. 890. 894. *Contin. Reginonis ad An. 907. sq.* *Annales Fuldens.* ad A. 892-898. Item LUTPRAND *chron. Lib. I. c. 5. Lib. II. c. 1. & 2.*

33) Vide ipsum STREDOWSKY in *Morauia sacra Lib. I. c. VIII. p. 60. & cap. X-XII.*

34) EVGIPIVS in *vita S. Seuerini c. 1.*

cetero temporis interuallo acceperit, enarrare pergit. Ex **HVNDIO** 35) aliisque scriptoribus, episcopatum Olmucii & Nitreae eo tempore instaurationem vna cum Laureacensi inducit, addens litteras Papales eius rei causa scriptas, **ex GOLDASTO** 36). Quali deinde feruore episcopi sic dicti rei christianae praefuerint, quo modo Morauorum rex **Radislaus** qui **Mogemirum** regno excepit 37), Christianam, **Miloslauam** nomine, sibi desponderit, religio que Christiana in dies magis magisque creuerit, donec tandem celebres illi doctores, **METHODVS** & **CYRILLVS** lumine Euangelii Morauiam luculentius illustrarunt, uti enarrare instituerit, legi ibi potest.

§. XVIII.

Fide dignissimorum sane scriptorum testimonia simul affirmant, **METHODVM** & **CYRILLVM** 38), praeter Moravos, permultas simul etiam alias gentes, ad rem Christianam traduxisse. Nimis vero verbosum esse me oporteret, vitas si horum fratrum describere vellem. Patricia ex gente in lucem Thessalonicae editi erant, ubi & pia & honesta fruebantur educatione, ita, ut doctores ingeniorum non ineptas ad vlti ad addiscendas litteras applicarent, bonis que apprime instructi studiis, Sacerdotii insignierentur caractere. Quo vero eo felicius eorum procederent aliquando conamina, muneri scilicet missionariorum destinatorum: Slauonicae addiscen-

35) *In Archiep. Salisburg.*36) *in append. Document. an. 826. Quibus addendi PESSINA in Mart. Morav. Lib. I. c. 3.*37) *PESSINA in Mar. Morav. Lib. I. c. 3. & lib. II. c. 5.*38) *De METHODIO & CYRILLO. Conf. eorum vita & fata apud STREDOVSKY in Moravia Sacra. item BAYMGARTEN loc. cit. Th. III. S. 433. 444. & 455.*

addiscendae linguae inprimis dabant operam, cuius ope, negotium conuertendi Slauias nationes ipsis facilius procedebat. CHAZARI 39) primi erant, quorum corda ad Christum trahere studebant, a quibus deinde ad BVLGAROS 40) proficiscebantur, vbi Methodius iudicii supremi diem pinxisse dicitur, cuius picturae faciem quum vidisset BOGOR, rex Bulgarorum: perterritus rei miraculo, statim baptizatus fuisse, fertur. Anno vero 1066. Moravi, regnante Radislao duos hos ad se vocant doctores. Regem hi cum primoribus regni statim baptizant. Multum sane successui felici addebat Slauias linguae notitia, quam callebant. In fauorem iuuentutis scholas instituebant 41), libros V. & N. Test. vna cum alijs e Graeco & Latino sermone interpretati 42), atque diuini verbi praecones per Slauias phylarchias emittunt 43). Ad Russos quoque CYRILLVM & METHODIVM abiisse per discipulosque suos Polonos, aliosque plures populos erudiendos studuisse, historia illorum temporum testatur. Ceterum METHODIVS praeful Olmucensis, & CYRILLVS Nitriensis dicuntur, quorum

C 3

studio

39) CHAZARI populus erat Slauias, qui tunc Chersonesum Tauricam (quae est Peninsula capitis Euxini maris apud Bosporum Cimmerium) vicinasque regiones incolebant. De BVLGARIS add. Allgemeine Weltgeschichte Th. XVII. B. III. Abschn. VI. a § 378. vsque ad fin.

40) ad BVLGAROS an. 1066. proficiscebantur, qui etiam ex gente Slauias prodierant.

41) Conf. GAUDERICVS de sebola Welchradii aperta n. 7.

42) BALEINVS in epitom. Lib. I. c. 10. p. 77. Item DVBRAVIVS in histor. Bohem. Lib. I. GOLDASTVS in Comment. Boh. Lib. V. cap. 7. not. in §. 1.

43) Inter plures, qui apud STREDOWSKY nominantur missionarii, quidam occurrit nomine Oslaw, qui in veteri Quadia, nunc Silesia, docuisse dicitur.

studio & labore patriae meae maiores conuersos lumen quae Euangelii per illos ante *Micislai* tempora accepisse, negandum plane non est.

§. XVIII.

Silesia inferior, Slaui cum irruerent, in manus *Lazorum* vel *Polacorum* inciderat 44). Vicinitas huius ducatus cum regno *Morauico*, rumorem & famam Euangelii facile etiam in hanc Silesiae partem mittebat, & plane rudem in doctrina de Christo relinquere non poterat. Huc accedit quod, postquam *ARNVLVS* *Morauicum* debilitauerat regnum; pars superior Silesiae *Polacis* annumeraretur 45), & sic vtraque Silesia communem imperii dominum iterum agnoscebat. Quadi itaque *Lygios* quoque certiores de religione christiana reddere poterant.

§. XX.

MICISLAO primo *Polonorum* duci inter alia momenta, etiam blandimenta atque suauitas *DABROWNAE*, principis *Bohemiae*, *Boleslai* filiae christianam religionem suadebant 46). Romanos itaque rogauit Clericos, qui religionem, cui assensum nuper praebuerat, suis in terris ordinarent eiusque ornamenta procurarent. Illi quoque quosdam fundabant episcopatus, inter quos episcopatus fuit *Smograuensis* 47), qui postea ad *Piscam* & tandem *Vratislauriam*

44) Conf. *LEGNICH* in der Abhandlung von den Worfaren der *Polen*; quae eius historiae de *Polonia* annexa legitur. Item *Excell. PAULI* l. c. Absch. 2. §. XVI. p. 21.

45) *RONFINIVS* l. c. Dec. I. Lib. II. p. 37.

46) De singulis hisce consule *DLVGOSI histor. Poloniae* T. I. Lib. II. p. m. 93. 94. sq. Item *LEGNICH* II. de religionis christianae in *Polonia* initiis.

47) Conf. *THEBESTII* *Siegnitische* *Jahrbücher* P. II. C. I. n. II. p. 4. & C. II. n. 7. p. 7.

lauiam translatus est. At enim vero haec non de prima introductione christianismi apud Silesios, sed magis de abrogatione sollemni superstitionis gentilitiae, quam & princeps & subiecti palam & publice iam omnes aspernabantur, intelligenda esse, patet.

§. XXI.

Nec vero erit difficile ad intelligendum, doctrinam de Christo Silesiis iam per *METHODIVM* & *CYRILLVM* Graecos illos doctores, ante Micislai primi tempora communem factam atque traditam fuisse: ita ut insignia huius temporis iam ceperit incrementa. Ieiunia siquidem Graeca Silesii plures iam per annos obseruauerant; quae tamen ad Silesios nunquam peruenissent, Romanorum si *CLERICI* in religionis causa ipsis primi auctores fuissent 48).

§. XXII.

Pontifex Romanus, qui iam tempore *METHODII* & *CYRILLI* novos christianos, suae ecclesiae inuoluere atque adiungere non vltimum sibi duxerat negotium; nec quiescebat eorum post mortem, sed per varios casus, media & astutias allaborabat, prohibere iam ea, quibus Silesii in cultu externo a Romanorum liturgia distabant siue in quibus Graeci a Latinis dissentiebant. Res de qua potissimum Romana sedes adeo sollicita erat, praecipue in eo consistebat, ut in locum Slauonicae linguae latina substitueretur, illa que ad administranda sacra vniuersa adhiberetur. Cuius linguae etiam religiosus vsus in sacris, tempore Micislai primi institutus esse putatur. Facilius sane erat ipsos Clericos, quorum eo tempore pauciores ecclesiae praeerant, eo adigere, ut in pontificis abirent sententiam: quam ut plebem

48) De quo ieiunio conf. *THEBESIVS loc. cit. P. II. c. XI. p. 51.*
Item de *SOMMERSBERG scriptores rerum Siles. T. II. v. 63.*

24 *Initia religionis christianae in Silesia &c.*

hem vniuersam a suis inueteratis ritibus & actibus liturgicis reuocarent. Quare etiam factum esse existimo, vt ieiunia Graeca in Silesia diutius continuata & conseruata fuerint, quorum religio animis infederat, quam alii ritus liturgici ecclesiae graecae.

§. XXIII.

Tandem rem perfecit sedes Romana, quam satis diu frustra tentauerat; anno videlicet *clcccxxxviii*; quum Legatum apostolicum *Iacobum* nomine, ad Synodum Vrsi-lauientem mitteret, vbi inter alia plura etiam quaestio de abrogando ieiunio graeco in Silesia in censum veniebat. Interim tamen hic per plura tempora apud Silesios reser-uatus mos fortissimum permanebit fundamentum: Silesios in re Christiana non Micislai primi demum prouidentia & cura, sed iam antea & prius per Graecos doctores, Cyrilli nempe atque Methodii studio, conuersos existisse, nostra que thesis: initia religionis christianae ante Micislai I. tempora in Silesia facta fuisse, omni expers dubitatione persistet 49).

§. XXIII.

Porueram vero forsitan & diligentius & verbosius hoc argumentum tractare; plura que superesse partim scio, partim opinor, quibus haec materia vberius ornari, & illustrari queat; sed cum me fata praeter omnem spem properare iubeat, patriosque reuifere lares: tempori parendum habeo meaeque disquisitioni qualicumque imponere

F I N E M.

49) De abrogatione huius ieiunii eiusque indole pluribus videri merentur quae apud *de SOMMERSBERG l. cit. T. II. p. 63. & p. 81. & 82.* leguntur.



Jf 3373


ULB Halle 3
002 188 97X




Sb.

V. 17 Ant.







Farbkarte #13

B.I.G.


DISSERTATIO. INAUGVRALIS.

QVA.

INITIA. RELIGIONIS. CHRIS-
TIANAE. IN. SILESIA.

ANTE.

MICISLAI. PRIMI. TEMPORA.



AMPLISSIMAE. FACVLTATIS. PHILOSOPHICAE. INDVLTV.
PRAESIDE.

VIRO. EXCELLENTISSIMO. AMPLISSIMO.
DOCTISSIMO. QVE.

GEORG. FRIDERICO. MEIER.

PHILOSOPHIAE. PROFESS. ORDINAR. ET. ACADEMIAE.
SCIENTIARVM. BEROLINENSIS. SODALI.
ORDINIS PHILOS. H. T. DECANO. SPECTATISSIMO.

PRO. GRADV. MAGISTRI.


D. APRIL. C1D1DCCLVIII.

PVBLICE. DEFENDET.

AVCTOR.

BENIAMIN. LEVPOLD.

HIRSCHBERGA-SILESIVS.



HALAE. MAGDEB. EX. OFFICINA. HENDELIANA.